



P. 6. 264

Prüfung: J. 1887

J. VI, 887

~~III 4/10 J. IV. 10~~



l  
IOANNIS MICH. GASSERI

GYMN. HALL. RECTORIS  
PROGRAMMA

QVO

ULTIMA FATA  
NOACHI

EX GEN. VIII, 20. SEQQ.

EXPENDUNTUR

ET

A FALSIS INTERPRETATIONIBVS

LIBERANTUR

SIMVLQVE

ACTVS ORATORIVS

D. VII IAN. MDCCCXII

IN GYMNASIO HALLENSI

CELEBRANDVS

INDICITUR.

---

HALLAE MAGDEBURGICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

12



HORAT. *carm.* L. III, Ode XXI, ll. 12. a)

Narratur et prisci Catonis

Sepe mero caluisse virtus.



OLENT, qui ebrietatem excusant, insaniam huius  
 sumorum hominum auctoritates præterdere: et  
 quia ex ipsa re et ratione non possunt, ex illus-  
 trium virorum exemplis patrocinium querere.  
 Hoc artificio utitur HORATIUS, quando virum  
 gravem et sapientem, Messallam Corvinum, reci-  
 tatis vini laudibus, ad meracius bibendum inuitat.  
 Quippe CATONIS PRISCI nomine vitium tegens, citius sepe-  
 fuasurum credit. At quibus testibus, PLACE, veris? *Narratur*,  
 ais. At quis vinqvam in Catone Prisco aliquid eius modi notavit?  
 An Priscum vocas etiam VTICENSEM illum, propter mores  
 Prisci? Sic *proavum et pronepotem* in eadem trutina ponis, et no-  
 mina confundis. De minore res nota quidem, sed et recens erat:  
 quid igitur attinuit dicere, *narratur*? An, vt fortius coniungeres,  
 Prisci nomine abuti oportuit? Nisi tamen præstanda fides est. Ca-  
 tonis Vticensis amor bibendi, præter ea, quæ PLUTARCHVS tra-  
 dit, vel ex PLINIO manifestus est, qui *erunt*, inquit b), *officia*  
*antelucana, in quæ incidere impune ne Catoni quidem licuit, quem ta-*  
*men C. Caesar ita reprehendit, vt laudet. Scribit enim, eos, quibus*  
*obuius fuerat, quum caput ebrui retexissent, erubuisse: deinde adii-*  
*cit, putares, non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos.*  
*Potuisse plus auctoritatis vrbani Catoni, quem si ebrius quoque tam*  
*venerabilis erat? Quisquis autem Horatianus ille CATO est, id*  
 certe constat, tantum a virtute temulentiam discrepare, quantum  
 a sana mente distat insaniam. Habent enim omnes virtutes commu-  
 ne quoddam vinculum, et quasi cognatione inter se continentur:  
 adeo, vt, qui vnam eximit, ceteras quoque tollere sit existiman-  
 dus. Sobrietatem proinde qui a choro virtutum segregat: na: is  
 foedissimam labem reliquis adspargit. Tunc eum, qui vino sese  
 obruit, viam virtutis imaginem, tu sapientem, tu magnum et ex-  
 celsum virum dicere audebis? Tu severitatem ac gravitatem cum  
 summa leuitate ac turpitudine coniunges, et tanquam cum homine  
 pecudem

a) p. 183. edit. Gesner. cl. 1602. cl. 11.

b) L. III, ep. 12. n. 2.



pecudem copulabis? Fuerit sane Cato sapiens cognominatus: fuerit in omni virtute princeps: fuerit ab ipsa natura ad honestatem factus et compositus: si vino liberius indulsit, si mero saepe caluit, si noctes potando continuauit; non erit, mihi crede, virtutum nomine condecorandus. Catonem in ipso Catone requiro. Itaque caput SENECÆ helleboro purgandum est. *Catoni, inquit, ebrietas obiecta est: at facilius efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem. Nam siue græco poetæ credimus, aliquando et insanire incundum est; siue Platoni, frustra poeticas fores compos sui pepulit; siue Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit c).*

Sed nimirum liberaliorem potionem, etiam ad ebrietatem vsque, remissionibus animi, vt lusibus, vt iocis, vt somno et quietibus ceteris, philosophus adnumerat, qui strumam dibapho vestit. Quamquam secum ipse discordans alibi rectius sentire videtur. Nam si illud argumentaberis, idem SENECA ait, sapientem multo vino inebriari, et retinere rectum tenorem, etiam si remulentus sit: licet colligas, nec veneno potio moriturum, nec sopore sumto dormiturum, cet d).

## §. II.

EBRIUS autem quum duobus modis dicatur; *altero*, quum aliquis vino grauis est, et impos sui; *altero*, si solet ebrius fieri, et huic obnoxius vitio est: plurimum omnino interest, quo quisque modo dicatur. Ille enim *ebrius*, hic *ebriosus* est. Potest, qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium: et qui ebriosus est, saepe extra ebrietatem esse e). Ergo CATO ille *ebriosus* fuit, quia vino saepe maduit: contra *ebrius* tantum, quem historia sacra commemorat, NOACHVS; quia semel vino, virtute eius nondum explorata, incaleuit.

*Narratur et prisci NOACHI*

*Clara mero caluisse virtus.*

Quo de facto quum non vnum omnes atque idem sentiant eruditi: non ab re futurum arbitror, tum de ipsa ebrietate NOAE, tum de consecutionibus eius quædam monere.

## §. III.

ERAT NOA suæ ætatis iustissimus omnium atque integerrimus, eamque ob rem deo ita carus acceptusque, vt, quum omne genus

c) de tranquill. anim. c. XVII. p. 637 ed. Lutet. Paris. form. max. 1627.

d) Epist. LXXXIII fin.

e) SENEC. l. c.



III

genus humanum ob mores corruptissimos diluuiio perdere statuis-  
set, hunc vnum cum familia sua ex vndis mire seruatum alterum re-  
nascēntis ac mellioris mundi parentem ac dominum esse iusserit.  
Qua re manifestum est, virum hunc et pietate in deum insignem,  
et sceleris purum in omni vita antea facta fuisse. Quis igitur tam  
auersus a vero, ac tam mente captus esse potest, qui virum opti-  
mum deoque probatissimum vitæ male sobriæ insimulare ausit? Ca-  
lumnia igitur *Hardiana* est, quod NOAM crebris et ingentibus  
poculis se ingurgitasse, audacter fati et impudenter pronuntiat f).  
Quoniam vero verbo tantum arguit, nec vilo argumento crimen  
obiectum confirmat: verbo etiam fati est negare. Quem ad modum  
vero sunt, qui in aliorum vitiis tam cernunt acutum, quam aut  
aquila aut serpens Epidaurius: ita etiam inueniuntur, qui aliorum  
mala lippis oculis inunctis perident, atque adeo rerum sanctissima-  
rum simulacra ex ipsis vitiis exsculpunt. Pauci inter nimium et pa-  
rum via media, quæ tutissima est, incedunt. Itaque illi, mea qui-  
dem sententia, rectissime iudicare videntur, qui NOAM pleniore  
vini haustu lineam quidem perfectæ virtutis transiisse, sed culpam  
dumtaxat erroris humani, non scelus commisisse, adfirmant g).

§. III.

VIDEAMVS nunc, *quenam NOAE ebrietatem consecuta sint.*  
Sunt hæc profecto eius modi, vt perspicue ostendant, quanta rerum  
momenta ex paruis sæpe initiis pendeant. Vino grauatius NOA  
fecessit in tentorium suum, crapulam edormiturus. Sopitus fom-  
no, iactatisque per quietem inquietam membris, eas corporis par-  
tes, quas natura velari iubet, indecentius aperuit, non studio qui-  
dem, sed propter togæ laxitatem casu fortuito, quod in somno  
paullo turbulentiore facile accidere potest: id quod vel ex CAESA-  
RIS factō constat, qui, vt animaduertit, vndique se strictis pugioni-  
bus peti, toga caput obuoluit, simul sinistra manu sinum ad ima crura  
de uexit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata h).  
Hæc sententia est antiquissima, communis, firma, perspicua: illa,  
quam HARDIUS excogitauit, et recens, et singularis, et infirma,  
et obscura. Nimirum Hermes iste, ingeniosissimus oraculorum in-  
terpres, quæ eius est scilicet in NOACHVM pietas, nudationis  
culpam,

f) HERM. VON DER HARDT *Ephemerid. philolog. discurs. II de Chami delicto et  
pœna*, p. 20. 21.

g) Vid. b. RAMBACH. *hist. eccles. V. T. p. 190 sq. it. b. BYDDEI hist. eccles. V. T.  
tom. I. p. 162. 199.*

h) SVETON. in *Cæs. c. LXXXII.*



culpam, a patre remotam, in filii, CHAMI, impietatem transfert, qui thalamo genitrali, et coniugi parentis optimi, hoc est, vel matri, vel nouercae, vim intulerit. *Pater familias*, inquit, *iniurias passus ab alio in toro suo et coniuge, castissimo MOSIS ore, NVDA-TVS dicitur* i). Verum enim vero quum vel tironibus, qui grammatices hebraicae elementa primoribus labris gustarunt, formae *Hirb-paelice* significatio reciproca nota sit, ac proinde vox *וירגל* ipsismet NOAM nudationis auctorem designet; et praeter ea verbum *גלה*, sine adiecto positum, nusquam in scriptura sacra pudoris solutionem indicet: omnis ista interpretatio per se concidit. Deinde quod MOSEN verecundia quadam earum partium vsus, quas natura context atque abdidit, non suis nominibus adpellare dicit, vitantem orationis obscenitatem; est id quidem non MOSI solum, verum etiam aliis scriptoribus sacris vsitatum; sed idem tamen MOSES incestum significaturus, nulla circuitione vitur, sed suo quodque nomine, scapham scilicet scapham, adpellat k).

§. V.

AT INVENTVS est nuper, qui verenda patris sui nuda pie tegeret, et tamquam subligaculo circumcingeret; idque tam occulte fecit, vt ne eam quidem genitoris sui figuram, in qua esset species honesta, posuerit in promptu. Est is IACOBVS IOANNES HAHN, qui in libello, NOE ΑΓΥΜΝΟΣ, inscripto, HARDTII sententiam, et quod principale in ea est, suscepit, sed in leuioris momenti rebus discessionem aliquando fecit. Atque, quod mireris, in hoc negotio ita callide versatus est, vt HARDTII, auctoris sui, ne obiter quidem mentionem fecerit l). HAHNIO igitur NOA vestimentum, siue togam, siue pallium, deposuisse videtur, interiore tunica retenta m). Vbi enim NOA plus paulo adbibit, exit conuiuii opipare instructo, fugit pocula et liberaliorem potionem, ne mens obruatur, in cubile se recipit, somno se daturus. Tam diligenter haec omnia persequitur AVCTOR, vt ipse epulis interfuisse videatur. Vt vero aliqua auctoritate hanc verbi *גלה* significationem adprobet, testimonii loco producit II Sam. VI, 20, vbi Michal DAVI-

A 3

DI

i) l. c. p. 22.

k) Gen. XXXV, 22, c. XXXVIII, 4. conf. I Chron. VI, 1. 2 Sam. XVI, 22.

l) Libellus iste prodit Erfordiae clo. loccl. s. cuius plena inscriptio ita se habet: „NOE ΑΓΥΜΝΟΣ siue *ultima fata NOACHI* ex Gen. VIII, 20-27, ita tradita, vt CHAMI vitium cum CANAANIS ortu variaeque ad multorum literarum S. oraculorum et mythologiae pleniorum cognitionem facientia „eruantur „cet.

m) p. 15-22.



DI regi exprobrat, quod Leuitarum more Ephodo linteo indutus spectantibus feminis ante arcam diuinam saltauerit. *O quanta*, inquit, *hodie fuit regis Israelitarum grauitas? qui se hodie, spectantibus suorum seruatorum ancillis, non aliter retexerit*, כהנא, *quam se solent reterege*, כהנא כהנא, *nebulones*. At enim vero quum primo verba hæc sint superba, maledica et contumeliosa mulieris, studiose in regem iactantis conuicia, et decori neglectum exaggerantis: nihil prohibet, quo minus, ex reginae saltem sententia, de minus honesta nudatione illa accipiamus. Deinde quid vetat dicere, DAVI-DEM inter saltandum eas corporis partes aperuisse, quæ adspiciuntur non decore? n).

Neque sane ad rem quidquam interest, togam deposuerit, an retinuerit NOA: quandoquidem patuisse illius virilitatem, ex sequentibus adparebit. Denique nonne procliuius est, exuta veste diffusiore ac longiore reteri, breuiore tunica velatum, quam toga tunicaque simul amictum? Quamuis vero hæc, ut dixi, ad rem nihil faciant: tamen sententiæ susceperet amor impulit AVCTOREM, ut maximo conatu ingentes nugas ageret.

## §. VI.

PERSPICVE enim narrat MOSES, ut virilitatem patris sui viderit CHAMVS, CANAANIS genitor, ut visam ab se duobus fratribus, qui foris erant, retulerit, ac tamquam ad spectaculum aliquid ludicrum inuitarit. Qui vero tantum abest, ut voluptatem aliquam oculis, aut ridendi materiam inde ceperint, ut vultibus auersis, quod decebat pios et pudicos, pallio patrem indecore iacentem contexerint, atque retrogradientes abierint. Hæc narratio quamuis lucida et aperta sit: tamen monstri ac portenti simile quid hic videre sibi visus est HARDTIVS. Videt CHAMVM furem libidine, scelus anhelantem, matris vel noueræ castitati, si diis placet, insidias fruentem, ac denique violato eius pudore coniugii iura resolutentem. Ne vero AVCTORI quis obiiciat, qui fieri potuerit, ut in tanta rerum caligine nullo duce aut comite visa priorum nulli, neque audita tam clare oculis cerneret, ut si rei ipsi interfuisset: MOSEN sibi facem prætulisse gloriatur, cuius beneficio tot tantisque difficultatibus non sine labore et molestia superatis rem ante hoc tempus inuisam viderit. *Patris enim nuditatem videre*, MOSE, optimo verborum suorum interprete, esse putat, *in patris thalamum inuolare*. Sed de vi verborum MOSIS post videbimus: nunc ad HAHNIUM transeamus. HAHNIUS non idem modo, sed plus etiam vider: facinus

n) 10. CLERIC. in *Genesis* c. VIII. p. 81.



cinus CHAMI, et caussas maleficii patrandi. Videt CHAMVS matrem, aut, si maui, nouercam: videt eam et ætatis flore et corporis pulcritudine præstantem, Phœbo formosiorẽ et sorore Phœbi. Vernis igitur passeribus falacior ignem primo, veluti tabem tacitis medullis, mox flammam toto pectore concepit. Quumque tæta libido venas eius inflasset: pulso pudore totus ruit in amplexus eius o). Quid ais, HAHNI? Tu tibi constas? Quam belle congruunt hæc cum reliquis? Age, contemplemur. De tua sententia non temere facinus adgressus est CHAMVS, fratrum optimus, patris delicia: sed diligenter pensitatis omnibus tandem ad vota properauit scilicet honestissima. Versabantur enim illi multa ante oculos, facta NOACHO patri et familiæ eius singularis felicitatis promissio, cum primis de Noachica stirpe multiplicanda; desiderium flagrans ex fese gignendi MESSIAM; effeta patris senectus; florens annis et corpore nouerca; orbitas eius et cupiditas tollendi liberos, cet. In hæc igitur casta muliere et proba fortunæ excelsæ spem omnem sitam putabat: conuenit inter ambos: quid multa? natus est CANAAN p). Euge! Sophos! O te fortunatum, CHAME, qui post tot annorum millia HAHNIVM aliquem virtutis tuæ præconem scelerisque patronum inueneris! Habet profecto HAHNIVS Chamitas omnes, quos solvmquam vidit, aut videbit, debendi reos: si apud barbaros vllus gratæ mentis sensus et beneficii memoria superest. Sed nolite credere: præuaricator est: sic enim vestræ gentis conditorem defendit, vt prodæ. Tam infirmis quippe argumentis vitur, tam leuibus et nugatoriis, vt, quem ad modum ea diluantur, vix reperiri possit.

## §. VII.

SED AGE, argumentationem ipsam contemplabimur. *Vidit, inquit nouus interpres, CHAMVS nuditatem patris sui. Quod quid aliud est, quam rem habere cum nouerca? Fidem enim facit diuinus MOSES, auctor maxime idoneus, qui verbis legitimis vitur, ad vagam libidinem amoresque furtiuos denotandos. Sic enim grauissimus legislator: Si quis suam vel ex patre, vel ex matre, sororem in matrimonium duxerit, et alter alterius nuditatem viderit, probrum est: sororis suæ verenda aperuit; panas dato q). Verum enim vero quam longe hæc argumentatio a veritate absit, quilibet videt. Loquitur enim MOSES de nuptiis viri cum sorore, eodem parentegenita, easque vt probrosas damnat. Data nimirum opera in eo legislator occupatus*

o) Vid. p. 30 post med.

p) Vid. p. 36 sqq.

q) Leuit. XX, 17.



## VIII

cupatus est, ut effrenatas varii generis libidines et impuritates vetet, et proposita capitali poena populo suo interdicat. Postulat igitur orationis series, ut legis istius verba de incesto stupro intelligantur. Præter ea studiose cauet MOSES, ne qua in verbis obscuritas remaneat: iccirco statim explicationis causa addit: *nuditatem sororis RE-TEXTIT*. In CHAMI autem facinore nihil narratur eius modi, quod stupri consuetudinem notet. Siue enim ea, quæ antecedunt, consideramus, siue quæ sequuntur: nulla ibi *rei uxorie* mentio fit; ut, nisi ænigmata historiarum scriptorem proponere voluisse dicamus, nemo vel sagacissimus tale quid odorari possit.

Adde, quod ipse MOSES tam ineptæ interpretationi reclamer, qui phrasin, *nuditatem alicuius videre*, de exploratoribus, ad speculanda regionis parum munita loca missis, usurpat. IOSEPHVS enim ad fratres, *exploratores estis*, inquit, *ad videndam nuditatem terræ venistis*, i. ut eleganter CASTELLIO vertit, *ad exploranda regionis parum firma loca venistis: immo ad immunita regionis speculanda venistis* r). Nisi forte IOSEPHI fratres ad stuprandam terram emissos esse censeamus. Qua re quid absurdius dici aut cogitari potest? Quid? An regis ARTAXERXIS amicos de eripienda ipsi pudicitia cogitasse dicemus? Quum enim regi suo nuntiassent, Hierosolyma reædificata Iudæos non amplius esse tributum, vectigal, portoria, soluturos, eaque re futurum, ut regii reditus detrimentum capiant: mox exponunt rationes, quibus commoti talia regi suo scribenda putarint. *Quam ob rem nos*, inquiunt, *qui regio salario fruimur, regis nuditatem*, i. ærarium exhaustum, *videre nefas ducimus* s).

## §. VIII.

AT MOSES, inquiunt, in legibus matrimonii fanciendis *matrem* aut *nouercam* satis dilucide *nuditatem patris* vocat t). Sed primum, mihi crede, non est ita, ut reris. Id quod clarissime cognoscemus, si ipsum MOSEN loquentem audiamus. Ita vero ait: *Ad consanguineum suum ne quis vestrum accedito, ut eius nuditatem detegat*, i. ut matrimonium cum eo contrahat. *Patris aut matris tue naturam ne detegito*, i. nec tu, filia, patrem, nec tu, fili, matrem, tecum matrimonio iungito: *mater enim tua*, (pater item tuus) *est: eius naturam ne detegito. Nouercæ tue naturam ne detegito, nam patris natura est*, nemini in eam quidquam iuris esto, quam patri, cui matrimonio iuncta est, cet. Vides, non *matrem*, non *nouercam*, adpellari simpliciter

r) Gen. XXXII, 9. 12.

s) Est. IIII, 14.

t) Leuit. XVIII, 6 sqq.



citer naturam seu nuditatem patris, sed nuditatem matris aut noueræ nuditatem patris dici, quia mutua coniugii fides sanctissime colenda præcipitur. Quisquamne tam lynceus est, ut matrem aut noueram nuditatem patris simpliciter videat nominatam? Scilicet, ut paucissimis repetam, nuditas patris non est mater aut nouera ipsa, sed pars illa, qua mulieres sunt: patris autem ideo dicitur, quia per matrimonium cum muliere in vnâ carnem coaluit, et quia mutuum, quod in matrimonio est, quemuis alium a communione excludit.

Deinde aliud est, nuditatem patris tantummodo videre, aliud sic videre, ut detegas. Vidit CHAMVS, non aperuit, patris nuditatem, nedum ipsam patris vxorem. Falsus igitur est HARDTIVS, falsus item HAHNIVS, qui matrem aut noueram a MOSE omnino nuditatem patris adpellari contendunt. Quis enim ferat ita ratiocinantem?

*Nuditatis vxoris est nuditas viri,*

*Nuditatis igitur viri est vxor.*

An sic? *Nuditatis patris est vxor,*

*Sed nuditas patris est nuditas patris,*

*Ergo nuditas patris est vxor.*

Adprobatio propositionis:

*Nuditatis vxoris est nuditas viri,*

*Sed nuditas vxoris est vxor,*

*Vxor igitur est nuditas viri.*

Sic autem? *Nuditatis patris est nuditas vxoris,*

*Sed nuditas vxoris est vxor,*

*Vxor ergo est nuditas patris.*

An placet hoc modo?

*Nuditatis vxoris est vxor,*

*Sed nuditas vxoris est nuditas patris,*

*Itaque nuditas patris est vxor.*

Forsitan hoc iuuat?

*Nuditatis vxoris est vxor,*

*Sed nuditas patris est nuditas vxoris,*

*Conficitur ergo, ut nuditas patris sit vxor.*

An sic mauis? *Nuditatis patris est nuditas vxoris,*

*Sed vxor est nuditas vxoris,*

*Hinc efficitur, ut vxor sit nuditas patris.*

Fortasse ita? *Nuditatis patris est vxor,*

*Sed nuditas patris est vxor,*

*Ergo nuditas patris est vxor.*

Quid ad istas ineptias abis, inquis: ferio agamus. Ita decet profecto: sed cur sic ineptis tu?

B

Circum-



Circumspectis igitur rationibus omnibus, sic concludere AUCTOR videtur:

*Omne, quod est vxoris, est etiam mariti,*

*Sed nuditas est vxoris,*

*Ergo nuditas vxoris est etiam mariti.*

Quæ conclusio recte se habet, si propositio limitibus circumscribatur, in hunc modum:

*Omne, quod est vxoris, peculiariter, est etiam mariti,*

propter communitatem, quæ ex fide matrimonii vitro citroque data conficitur. Si vero propositionem hanc simpliciter, et omni modo, intelligas: oppido falsa est. Multo minus hæc argumentandi ratio procedit:

*Quidquid est vxoris, est vxor ipsa,*

*Sed nuditas est vxoris,*

*Igitur nuditas vxoris est vxor ipsa.*

Vide enim, ne articulos, nasum, nates, cet. pro vxore accipias: sunt enim hæc res et multo plures vxoris.

*An, quidquid est gallinæ, est gallina ipsa?*

Caue, alborem gallinæ pro ipso eius corpore habeas.

*An, quidquid est Habmii, est Habmii ipse?*

Vide, ne in raphanum Erfordiensem euadas.

Ex his igitur disputatis nullo negotio intelligi potest, ratiocinationes AUCTORIS cum in materia, tum in forma vitio manifesto laborare.

§. VIII.

PROGREDIAMVR nunc ad ea, quæ facinus CHAMI consecuta sunt: vt tanto certius de ipso factio iudicari possit. Cuncta MOSES breuiter edisserit. Scilicet rem gestam ad fratres defert facinoris auctor, suoque se iudicio prodit. Fratres autem patris pudenda velant. Mox fomno experrectus NOA filiorum fata canit. Is, qui, quæ viderat, refert, est ipse CHAMVS, pater CANAANIS, non, vt HARDTIVS fingit, aliquis cognatorum. Vidit hoc HAHNIVS quoque, sed nodum in scirpo quærens, in nugis difficiles delabatur. Huic enim si credimus, CHAMVS, incesto flagitio contaminatus, quasi re bene gesta lerus, et in summa impietate pius, CHAMVS, inquam, ille patris ocellus, pullus, passer, ille intimæ admissionis filius, CHAMVS, qui et vindictam dei, in impios exercitam, et benevolentiam erga NOAM patrem eiusque familiam, tot signis cognouerat, scelus atrocissimum ab se commissum enuntiat, vt scirent, quam bene in fuscipienda ex matre sobole, cuius iam ex patre destituto nulla spes sit reliqua, de omni Noachidarum familia et posteritate meruerit. Legat, qui volet, orationem lepidissimam, quam CHAMI personæ adcommodat HAHNIVS u). Nobis

u) p. 39 sqq.



Nobis quidem ea tam inficeta, tam insipida, tamque a sensu communi remota videtur, vt nihil dici possit absurdus. Non enim hominem, sed vel insanum, vel immanem belluam humana specie et figura esse oportet, cuius in tam horrendo flagitio enarrando sic exsultat ac triumphat oratio.

Indicio CHAMI exposito atque edito, fratres natu maiores, SEMVS et IAPHETVS, pallium suis amborum humeris imponunt, et retrorsum gradientes sui patris verenda tegunt, ita auersis vultibus, vt patris verenda non viderent. Hæc ita explicat HARDTIUS: „Ad „cubile, in quo latebant CHAMVS cum sua Venere, patris carne, „subito properarunt, ante quam se subducerent scelesti. Dum igitur „eos deprehenderunt, ira et iusto zelo impulsæ, prehensa sua pallia, „quibus erant amicti, in vtrumque decumbentium iniecerunt, vt humeros, aut capita atque corpora eorum, tegerent, quorum scelus „horrebant. Quo factò sceleris, a fratre et matre vel nouerca commissi, certissimi testes, mox sese verterunt, atque iterum abierunt. „Quam primum igitur nuditatem patris sui, aut matrem vel nouercam suam, in maritum turpissime peccantem, cum CHAMO illi „adiacente, palliis suis iniectis texissent, sine mora faciem iterum ab illis auerterunt. Et si igitur SEM et IAPHET in eodem cubiculo „exstiterint, in quo CHAMVS cum scelestâ matre aut nouerca delitescabant, sine omni tamen maculæ suæ suspitione adfuerunt. Alius enim illis animus, ac CHAMO. Hic ingressus, sceleris auctor: illi „vindices. Nuditatem igitur patris sui non viderunt hi duo fratres, seu matrem suam, exemplo CHAMI, non attigerunt, non contaminati, cet., x). Sed quia CHAMVS, is ipse, qui vidit, etiam nuntiat, neque tertii alicuius interuentu opus est, ceteraque omnia optime congruunt et cohærent; e contrario facinus, cuius CHAMVS arguitur, nullo modo planum fieri potest, sed rerum naturæ repugnat: omnis hæc HARDTII disputatio, vt rerum anilium deliamenta, merito exploditur.

Deinde nulla probabilis ratio adferri potest, cur in flagrante scelere deprehensis pallia sua iniecerint fratres, cur vultum auerterint, cur denique MOSES addat, eos nuditatem patris non vidisse. Cur non alterum potius ab alterius complexu abstraxerunt? Cur ferro et compedibus non constrinxerunt? Quorsum igitur valuit vestium iniectio, si patris nuditas a CHAMO tecta pariter ac reiecta fuit? Num testimonii loco vestibus superiniectis vsuros fuisse fratres aduersus incestos credamus? Quam parum vero id credibile est? Quandoquidem nihil est facilius, quam veste abiecta rem omnem plane negare.

x) in *Ephemerid.* l. c. p. 26. 27.



Denique cur vultu auerso et cooperuerunt sceleratos, et eodem modo retro abierunt? Vt tanto certius testari possent? Cuius autem testimonium plaris est, eiusne, qui rem inuisam reliquit, an qui eam oculos vsurpauit? Oculos igitur auerterunt fratres, ne vultu quoque pietatem læderent y).

## §. X.

VT, QVI saltum ingressi, semel a recto tramite deflexere, quo longius progrediuntur, eo difficilius exitum inueniunt: ita vno errore intra animum admissò, in alias atque alias plagas inducuntur improvidi mortales. Vna scilicet veritas est, eademque pura et sincera est: multiplex contra error, tortuosus, ambiguus. Sequemur tamen HAHNIVM tantisper, dum errore deprehenso, in viam cum ipso redeamus. Si igitur huic credimus, vestis, qua SEMVS et IAPHETVS noueram videlicet suam velarunt, est illa ipsa, quam NOA conuiuio excedens deposuerat. Iam deus *pandisse alas* dicitur, *rexisse nuditatem, et matrimonii fudere iunxisse Israellem* z). Ergo fratres patris nomine noueram in matrimonium adsumunt, eoque modo, tamquam stolam dedissent, nuptiam declarantes, patri eam vindicant. Porro ABIMELECHVS Saræ dat argentum, vt tegumentum faciei sibi emat, et ex eo nupta cognoscatur aa). Ergo qui NOAE vxorem (mirum dictu!) veste velarunt; illam etiam sollempni nuptiarum ritu pro marita habuerunt. En argumentationes, a baculo ad angulum! Sed quia suæ explanationi diffidere videretur AVCTOR: faciem noueræ velatam esse ait, eorum in morem, qui ad vltima supplicia damnati sunt; vt videlicet capitali pœna hoc ritu significaretur adficienda. Fuit forsàn et animus, pergat, vltiorem ludificationem prohibendi, donec NOACHVS euigilans decerneret; immo NOACHVM, ne imprudens ad vitiatam accederet, commonefaciendi. Nondum vero acquiescens his omnibus, infra hæc addit: „Nisi placeat ea sententia, sine absurditatis periculo amplectenda, quæ CHAMVM ex contemptu fratrum parentisque soluto penitus vinculo coniugii eam more Absalomico hoc factò sibi copulare voluisse adserit, vt ex hac domina sui iuris facta splendorem domini ampliorisque familie sibi conciliaret. Fratres hinc velando curarunt, vt sciret, sibi displicere factum, vxoremque marito relinquendam esse, bb). In tanta sententiarum diuersitate nescias, quam potissimum vel eligas, vel repudies. Ita quippe alienæ sunt omnes, ita repugnant, vt, qui eas inter se conciliare cupiat, idem iungere vulpes, et mulge-

y) Vid. PHIL. OLEAR dissert. de Chamo maledicto, §. XI.

z) Ezech. XVI, 8. aa) Gen. XX, 16,

bb) HARN. l. 6. p. 42-46.



re hircos conetur. Idem nobis vsu venit, quod apud Comicum nescio cui: *fecistis probe: incertior sum multo, quam dudum.*

## §. XI.

PERSEQVAMVR nunc ea, *que ex somno excitatus NOA ore fatidico vaticinatus est.* Ergo NOA, vbi CHAMI facinus rescivit, non ille quidem CHAMVM proxime, sed occasione ex flagitio eius capta, in CANAANIS capite posteros eius detestatus est. Oraculo enim diuino monitus edixit, *esse in satis, fore aliquando tempus, quo CANAANIS posteris in turpissimam veniam seruitutem.* Itaque per latus CANAANIS CHAMVM simul petiit, taciteque scelus eius castigauit. Dum enim ex CANAANE nascituram posteritatem infortunatam olim futuram prædixit: fieri non poruit, quin CHAMVS, suorum infelicitatem prospiciens, animo valde commoueretur, eaque re poenam, impietati suæ debitam, in posterum præsentiret. Quid enim dulcius homini a natura datum est, quam sui cuique liberi? Quid parentibus magis est optandum, quam vt illi prospera, æquabili et perpetua fortuna fruantur? Quid contra tam illætabile, tamque luctuosum accidere parentibus potest, quam natos natorum, et qui ab illis nascentur, in miserrimam conditionem seruitutis quandoque detrudendos longe animo prouidere, idque tam certo, quam ea videntur, quæ oculis cernuntur cc)? Adde vim conscientie, quæ angore et cruciatu assiduo sceleratos agitât, et, tamquam furia domestica, dies noctesque poenas fatales ab iis repetit.

Neque vero existimandum est, Cananæis nulla sua culpa, ac tantummodo propter CHAMI delictum, malum portendi: sed corruptissimos huius gentis mores ac nefanda scelera, simul cum CHAMI peccato, causam decreti diuini et fati tristis fuisse. Neque etiam metuendum est, ne crudelitatis atque iniusticiæ infamia deo O. M. subeunda sit. Hic enim omnium princeps ac dominus, excelso nixus folio, fortunam mortalium arbitrio suo versat ac voluit: qualem quisque sortem statumque habeat, illius iurisdicção est. Hanc gentem ex sterquilinio extollit, et in sublimi collocat; illam ex fummo ad infima derubat: aliis dat libertatem, aliis eripit.

At CHAMI peccatum, inquires, tam grate non fuit, vt non nisi malorum extremo, æterna seruitute, expiari debuerit. An, quia semel vidit, perpetuo miser erit? Si vidisset sine contumelia, sine irrisione, sine ludibrio: nec deliquisset sane, nec hæsisset in poenis. Sed longe est aliter: non enim textit, quod vidit, sed procaci ore et

B 3

perulanti

cc) Præfere PLVTARCHVS ait: Οὐ λυποῦσα μᾶλλον ἢ τὴν κἀλυσιν, ἢ τοὺς ἐξ ἑαυτοῦ κακὰ πάσχοντας δι' αὐτοῦ ὄργον, i. nullum dorus supplicium, quam eos, qui eos se sunt, ob se miseros spectare.



petulanti vultu fratribus enuntiauit, eosque tamquam ad iudicium vocauit spectaculum. Versatur ante oculos ex hac parte pater gravissimus; ex illa leuissimus filius: hinc conseruator generis humani; illinc propter patrem ex vndis seruatus: hinc sanctum atque a deo ipso commendatum iustitiæ exemplar; illinc summæ iniustitiæ et robustæ nequitie specimen: hinc rector et princeps orbis terrarum; illinc maiestatis patriæ contemtor. Violauit igitur CHAMVS et leges diuinas, et humanas et naturales dd).

## §. XII.

HIC ALIA omnia placent HARDTIO. Nimirum is CANAANEM ex illo furtiuo concubitu genitum esse ideo putat, quod a MOSE statim mentio CANAANIS fiat. *Flagitium CHAMI*, inquit, *describens MOSES, eum patrem CANAANIS vocat ee. Naro itaque tandem ex illegitimo concubio CANAANE, quum grauiorem in CHAMVM, scelerum suum filium, statuere penam non posset senex, quam si ex incestu genitum filium CANAANEM ab omni cognatione et hereditate penitus excluderet: hanc sententiam, siue sub finem vite in testamento, siue ante, grauiter statuit, cet. ff).* Ergo propter ea quod CHAMVS pater CANAANIS vocatur, CANAAN ex incestu ortus dicendus est? An, qui cuiusdam filius dicitur, iccirco pro spurio est habendus? An, quod CANAANIS posteris durior fors denuntiatur, ideo CANAAN ex incestis parentibus prognatus esse dicitur? Habet omnino causas grauissimas MOSES, cur assiduum CHAMO patri comitem CANAANEM filium adiungeret, ceu culpæ patris progeniem vitiosiore, et, quod caput rei erat, conditorum gentis ab Israelitarum populo vincendæ ac perdomandæ. Neque dubitari potest, quin CANAANEM MOSES ideo nota quadam insignierit, vt Hebræos ad bellum acerrimum, aduersus Cananæos fuscipiendum, alacriores promptioresque efficeret, vt contra populos ad feruitutem iam olim damnatos. At monstruosum HARDTII ferum ita deperit, ita in oculis fert HAHNIVS, vt abiectum et nudum non tollendum modo, sed etiam noue vestiendum putet, ne scilicet frigore necetur. „Si omnia, inquit, MOSES verba ad verum referas scopum, et in summam contrahas, hoc orationis eius erit argumentum: Vidit sane CHAMVS, et exinde erit pater CANAANIS. In tantum votis potieretur, vt filius ex eius flagitio existat. Sed CANAAN ille, olim ex hac illicita consuetudine nasciturus, oraculo diuino, per me edendo, indignus iudicatur, vt excellentia promissionis in eum conferatur vobisque emineat, „ cet. gg). Hac occasione

dd) Vid. S. R. et Exc. D. FAUWGARTEN *adnot. ad bist. uniu.* tom. I. p. 266.  
 ee) p. 26. ff) p. 28. 29. gg) p. 49.



occasione NOAM inducit modo vt fenem iratum, modo vt mitem et misericordem, modo vt crudelissimum tyrannum, qui innoxium infantem feris alitibus bestiisque lanandum permittat hh).

Vidit, nostra sententia, CHAMVS, sed inuerecunde vidit: visu igitur peccauit. Namque

*Qui videt, is peccat: qui non et viderit, ergo  
Non cupiet. Facti crimina lumen habet ii).*

Hinc est, quod queratur OVIDIUS:

*Inscia quod crimen viderunt lumina, plector:  
Peccatumque oculos est habuisse meos kk).*

*Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?*

*Cur imprudenti cognita culpa mihi?*

*Inscius Aëleon vidit sine veste Dianam:*

*Preda fuit canibus non minus ille suis ll).*

§. XIII.

CETERVM VT paucis omnia, quæ HANNIVS commentatur, (longa enim est fabula) complectar, CHAMVS videt, CHAMVS ita videt, vt mater ex ipso vterum ferre incipiat, videt puerum conceptum esse, gratulatur sibi hanc felicitatem, imponit, ante quam nascitur, puero nomen CANAANIS, vt nothi, vt hominis infamis, vt profligati et abiecti. Eadem hæc cognouit ex oraculi sorte NOA, quæ per se CHAMVS habuerat cognita. Itaque CANAANEM damnat ad durissimam conditionem seruitutis, ante quam nascitur, et nascitur ad miseriam sempiternam, nullam aliam ob causam, quam quia pater peccauit. Vides, lector, vel sine hoc Mercurio, quantopere hæc abhorreant ab ipse et veritate. Viderit sane CHAMVS oculorum petulantia, incauerit, Veneris glutino adhæserit: qui scire potuit, *gravidam* ex suo complexu factam nouercam? Vetus videlicet scortator, et stupris exercitatus? Quis sana mente hoc vmquam, non dicam vere, sed tantummodo suspiciose in CHAMVM dicere sustinuit? Sed viderit tamen, vulgauerit corpus nouercæ: num *marem* etiam sibi nasciturum præuidere potuit? Næ ille in hoc artificio callidior fuerit, necesse est, quam vel nostræ obstetrices, vel, qui obstetricum munere ex viris funguntur. Quod si nostri homunculi *Chamicam* hanc artem *Chamice* callerent: quot quantasque contouersias super successione principum priuatorumque, quot lites de hereditatibus, cer. *Chamice*, hoc est, nullo negotio dirimere possent? Sed concedamus etiam hoc, quod nullo modo concedendum est, eum numine fortasse aliquo rem tam arcanam manifestante comperisse: qui dignitatem gloriamque præcipuam ex incestu sperare

hh) Vid. p. 51. 52. 74.

ii) PROPERT. L. II. eleg. XXIII, 21. 22.

kk) Trist. L. III. eleg. V, 49. 50.

ll) Trist. L. II, 103 sqq.



XVI

ſperare potuit, homo acerrimo ſupplicio dignus? Adeone omnem pudorem cum pudicitia exiſſe filium, patri cariſſimum, vt ingenuam mulierem, vt matrem familias, vt matrem ſuam vi ſubigere haud erubeſceret? Vt fidem propriæ vxori datam nefando adulterio violaret? Vt conſanguinitatis ſacramentum deleret: vt, quod in ſuo habebat ſep̄to, de patris horto auferret, atque ad pœnam apertam fur improbiſſimus conuolaret? Iam quis adeo amens eſt, vt ſibi perſuadere poſſit, ex tam immundo nequitia ſtabulo MESSIAM (quamquam animus meminiffe horret) eſſe proditurum?

Sed plura de tanto, tam atroci, tamque ſingulari maleficio CHAMI, quod in nullum ſanæ rationis participem hominem, nedum filium, ſexaginta magis annos natum, ſanctiſſimiſque NOAE penetralibus nutritum, ac ſingulari dei beneficio ex aquis ſclerum vlticibus conſeruatum, cadere poteſt, plura proferre et piget, et pudet, et pœnitet. Melius proſecto ſibi conſtabunt omnia, quæ de CHAMO narrantur, ſi receptam teneamus ſententiam, quam ſi iis adſentiamur, quæ contra rerum naturam, contraque conſuetudinem hominum, contraque opinioniones omnium, ſtolide diſputantur.

VENIO nunc ad illas res, quibus et deo ſe percarum, et humanæ genti maxime vtilem NOA præbuit, *iuſtitiã incredibilem, et in agris vineiſque colendis mirã ſollicitã*. Quæ quum firmiſſima ſint vitæ præſidia: non absurdum fore putauit, ſi tirones noſtri in illis collaudandis et ingenium et ſtilum exercerent. Tractatio autem omnis erit tripartita. Etenim

DIETERICVS AVGVSTVS ROTTH, Hallenſis,  
*iuſtitiã NOAE canet, verſibus germanicis et ſuis.*

IOANNES DAVID ADLVNG, Erfordienſis,  
*NOAM agricolam prædicabit, oratione latina.*

Denique

IOANNES RVDOLPHVS HORDORF, indidem Erford.  
*NOAM vitisatorem extollet, oratione germanica.*

Qua occasione ſimul BENEFICII OELHAFIANI MEMORIA grato animo recoletur.

Omnes igitur, quibus gymnaſii noſtri non decrementum, ſed incrementum curæ eſt, certe eſſe debet, ac præter ea quotquot bonis litteris præſidio et decori ſunt, ad declamatiunculas noſtras beneuole et attente audiendas per quam officioſe inuito.

Initium erit hor. II pomeridiana, die VII Ianuar.

cl̄ōl̄occl̄ii.

---

P. P. Hallæ Magdeb. D. VI Ian. cl̄ōl̄occl̄ii.



94 A 7362


ULB Halle 3  
001 840 606




96.











IOANNIS MICH. GASSERI

GYMN. HALL. RECTORIS  
PROGRAMMA

QVO

VLTIMA FATA  
NOACHI

EX GEN. VIII, 20. SEQQ.

EXPENDVNTVR

ET

A FALSIS INTERPRETATIONIBVS

LIBERANTVR

SIMVLQVE

ACTVS ORATORIVS

D. VII IAN. MDCCCLII

IN GYMNASIO HALLENSI

CELEBRANDVS

INDICITVR.

HALLAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.